Haſſiæ! trigam nobiliſſimam, quam cum altera Danielis ſociorum haud injuria comparaveris: niſi quod hos breve diſcrimen, licet maximum, illos per plures annos multa exercuerint. Si Joannem Electorem, Joan. Fridericum Ducem Saxoniæ, Franciſcum Lunæburgicum, & Wolfgangum Anhaltinum, qui ſuperiorum paraſtatæ, ſymbolum noſtrum Carolo Imp. ſimul exhibuere, in illa tabula non comparere excipias. Illorum locum patruelis & ſobrinus, Henricus atque Auguſtus, iſtius, frater Erneſtus, hujus, patruelis Joannes non ſemel hic lectus, in quibus haud minor Zelus notatur, ſupplere poſſunt. Præter hos Chriſtianus III. R. Daniæ, Joachimus II. Elector & Joannes March. Brandenburgici, Julius D. Brunſvicenſis, Chriſtophorus D. Wirtenbergiæ (gentilis veſter) Henricus D. Megapolitanus, Fridericus II. D. Lignicius, Gebhardus Com. Mansfeldiæ & alii, omnes Evangelicæ religionis, quam in ditionibus vel introduxere vel ſingulariter fovere, defenſores conſtantiſſimi, comparent, ac nepotibus prælucent. Si bellicæ virtutis deſiderentur documenta; nec in illis parci eſſe cogimur: quos enim ex illuſtrium ordine ſuperius ſæculum fortes militiæ duces prædicat, magna ex parte

hic